

dicit quod : « Magister confortat intellectum addiscentis, non quidem aliqua virtute activa quasi superioris naturæ, sed in quantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusiones. » Ergo condistinguit S. Thomas confortationem luminis a propositione veritatis; et sic non solum illuminat proponendo, sed etiam interius immutando.

Respondetur quod, ut bene notat Cajetanus q. cvi, art. 1 duplex ille modus illuminandi per fortificationem virtutis intellectivæ, et per distinctionem, et propositionem rei repræsentatæ fit per manifestationem conceptus Angeli proponentis rem cognitam ut illustratam clariori, et superiori lumine; et inde emanat duplex effectus in intellectum inferioris, cui talis veritas, et conceptus repræsentatur, scilicet quod ejus virtus firmior, et perfectior fiat ad intelligendum, et quod objectum repræsentatum magis proportionatum reddatur per talem distinctionem, et coaptationem ad ejus intellectum. Non autem intelligitur quod Angelus illuminans operetur interius in intellectu inferiori immutando ipsum, et aliquod lumen influendo vel speciem producendo, ut latius tradimus infra disp. xxv, art. 11, ubi hoc totum pertractatur, et differentia assignatur inter hominem docentem alium hominem, et Angelum superiorem confortantem, qui ad suum modum intelligendi elevat, seu rapit intellectum inferioris, etiam per solam propositionem conceptus, et intelligentiæ suæ modo efficaciori, quod non facit homo respectu alterius hominis.

XXVII. Fundamenta Scoti ex dictis convelluntur. Reducuntur enim ad duo. Alterum a priori, alterum ab inconvenienti. A priori quidem, quia non repugnat intellectum An-

geli accipere species ab objectis materialibus, vel etiam immaterialibus : nam anima nostra est infima in genere intelligibili, et tamen habet vim accipiendi species intelligibiles a sensibus corporeis, qui non minus materiales sunt, quam objecta ipsa, quæ virtus dicitur intellectus agens : ergo Angelus, quia superioris, et efficacioris naturæ est, habebit eamdem virtutem accipiendi species a rebus materialibus, licet non a sensibus, quia caret illis, vel etiam a rebus ipsis spiritalibus. Ab inconvenienti autem sumitur argumentum; tum quia si Angelus non accipit species a rebus, sed habet illas infusas : ergo quando aliquæ res de novo fiunt, non accipit species ab illis, et cum alias non infundantur de novo a Deo (alioquin singulis momentis deberet Deus infundere species Angelo, quia singulis momentis res aliquæ de novo fiunt) sequeretur quod ab initio habet Angelus species omnium rerum, quas de novo potest intelligere; et sic cognosceret omnia futura, et cogitationes cordium, quia de omnibus habet species ab initio. Tum etiam, quia alias non posset cognoscere singularia distincte, si ab ipsis singularibus non accipit species, sed illas habet universales ab initio sine dependentia, et ordine ad quælibet singularia; sic enim solum in confuso, et in communi repræsentarent. Tum denique, quia si infunderentur species a Deo, essent supernaturales, si quidem a solo Deo fiunt nulla actione Angeli, vel dispositione prævia id exigente, sed tantum mere passive se habente : ergo nihil deest quominus supernaturales sint : vel saltem posset Deus illas denegare Angelo sine ulla violentia, quia ipsa natura ad eas non conatur; et sic posset Angelus manere ignorans sine ulla violentia facta ipsi naturæ.

Respondetur ad primum non esse perfectionem in Angelo quod habeat intellectum agentem, sicut nos, quia intellectus agens supponit magnam imperfectionem, nempe quod intellectus sit in pura potentia respectu objectorum, et perfectionis intelligibilis, quæ ab illis provenit ipsi intellectui, et sic datur illi virtus, per quam possit hanc imperfectionem tollere, accipiendo species intelligibiles ab objectis; et sic licet habere talem virtutem acquirendi species sit perfectio intellectus in nostro statu imperfecto, non tamen est perfectio simpliciter, sed supposito statu potenciali carenti ipsis. Absolute tamen perfectus est non indigere tali virtute, sed a principio habere illam perfectionem, et non esse in potentia ad illam, sicut in nobis habere virtutem augmentativam, perfectio est, sed major perfectio esset, si a principio totum illud augmentum haberetur, et non indigeret homo acquirere illud, sicut non est in cælo hæc virtus crescendi, nec erit in corporibus gloriosis exercitium hujus augmentationis, quia omnia corpora erunt in suo debito statu, et mensura. Nec etiam in Angelo est virtus ad acquirendum species ex objectis spiritalibus, quia etiam respectu istorum, majoris perfectionis est intellectum non carere illis; et sic non indigere acquisitione earum, quam carere; et sic acquirere, et propter alias rationes supra assignatas.

XXVIII. Ad secundam rationem ex inconvenientibus. Ad primam dicitur, quod Angelus ab initio habet species repræsentativas omnium singularium, non immediate, sed mediate, quia sunt species universales deservientes pro singularibus alicujus speciei : non vero de quolibet singulari habet species seorsum distinctas, et seorsum cujuslibet singularis repræsentativas, ut

dicitur disputatione sequenti. Unde sequitur quod species istæ non possunt repræsentare singularia in seipsis, nisi quando existunt in rerum natura, vel extiterunt, quia tunc complete similes redduntur illis objectis, quando sic præsentia sunt, vel præsentiam sui reliquerunt. Unde ad repræsentandum singularia dependentes sunt species illæ angelicæ ab eorum existentia, dicunturque compleri per existentiam objectorum, quasi extrinsece : licet enim de se repræsentent quidditatem ipsorum singularium, imo et existentiam illorum, atque circumstantias quidditative, et secundum se consideratas, et in abstracto; exercitium tamen, seu per modum exercitii non repræsentant res ipsas singulares, nisi quando reipsa exercentur, et ponuntur a parte rei, et quoad hoc species illæ dependentes sunt ab ipsis rebus tamquam ab extrinsece terminantibus, et complementibus similitudinem speciei, quæ est in Angelo : cum enim infundantur illæ species ad repræsentandum res, non absolute, sed prout descendant ab ideis divinis, et prout pertinent ad hoc universum, quia solum est debitum Angelo cognoscere res naturales, et ea quæ hujus universi sunt, consequenter repræsentatio singularium per species angelicas est dependens a derivatione eorum a Deo, et ab existentia eorum in hoc universo, quia aliter non pertinet ad illud. De quo latius dicemus disputatione sequenti.

XXIX. Ad secundam inconveniens dicitur, quod species Angeli, licet sint universaliores, extenduntur tamen ad repræsentandum singularia, mediate quidem, et secundario, sed directe, et non reflexe, quia non dicuntur universales per abstractionem a conditionibus individuanti-bus, sicut nostræ species, sed quia repræsentant objecta, et naturas

secundum quod procedunt a causis magis, vel minus universalibus, vel secundum rationes, secundum quas formantur a Deo, et procedunt ab ipso in hoc universo: et sic possunt præbere cognitionem propriam de singularibus, licet species sint universales, quia non sunt universales solum secundum abstractionem naturæ, et universalitatem in prædicando: sic enim singularia solum continentur in potentia in tali natura, sic abstracta, et superiori, sed representantur illa singularia in specie universali representante naturam secundum rationem illam universalem, qua descendit a Deo, qui est causa universalis tam naturæ, quam singularitatis.

Ad secundum, quod illæ species derivantur ab ideis divinis quasi quædam earum expressiones representando rationes magis, vel minus universales in causando, et secundum quod res derivantur a Deo juxta modum causarum magis, vel minus universalium, sic dicuntur illæ species magis, vel minus universales, ut dicemus articulo sequenti. Et quia singularia derivantur ab ideis divinis successive, etiam successive ab illis speciebus representantur, non immutatione facta ab objectis, sed ab ideis, quarum sunt expressiones, ut sequenti disputatione dicetur.

Ad tertium inconveniens jam supra respondimus solvendo argumentum p. Vasquez, et diximus quod istæ species non sunt supernaturales, licet infundantur a Deo, quia non infunduntur a Deo auctore supernaturali, sed operante juxta naturalem capacitatem Angeli, et exigentiam ejus, sicut infundit, et creat animam rationalem quando materia est disposita, et sicut imprimit lumen in intellectu nostro, et præbet concursus causis naturalibus, et sicut motus præbetur cælo

ab extrinseco motore, et tamen illi connaturalis est. Unde si Deus denegaret species Angelo, etiam dato quod non inferret violentiam, non tamen id negaret connaturaliter ad naturam Angeli, sed præter ejus naturalem exigentiam. Sed tamen, quia aliqui etiam de hoc dubitant, an species istæ infundantur a Deo, an vero emanent species tamquam propriæ passionis ab intellectu Angeli, ideo hoc amplius a nobis explicandum est.

SPECIES ANGELICÆ NON SUNT PROPRIÆ PASSIONES IN RIGORE LOQUENDO, SED ACCIDENTIA INSEPARABILIA.

XXX. Sumitur hæc assertio ex D. Thoma qui communiter docet species angelicas effluere a Deo, et ab ideis divinis in mentem Angelorum. Videndus est in hac quæstione LV, art. II, ubi inquit, quod suam perfectionem Angeli consequuntur per intelligibilem influxum quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura. Unde Augustinus dicit in secundo super Genesim ad litteram, quod: « Cætera quæ infra Angelos sunt ita causantur, ut prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo. » Similiter infra q. LXXXIX, art. IV, distinguit D. Thomas duplicem modum cognoscendi, unum per abstractionem a phantasmatibus, alium per influentiam specierum a Deo, quia: « Sicut Deus per suam essentiam, in quantum est causa universalium, et individualium principiorum cognoscit omnia, et universalia, et singularia, ita substantiæ separatæ per species quæ sunt quædam participatæ similitudines illius divinæ essentiæ, possunt singularia cognoscere; est tamen differentia inter Angelos et animas separatas quod

Angeli per hujusmodi species habent propriam, et perfectam cognitionem de rebus, animæ vero separata confusam. » Et eodem modo docet has species a Deo derivari in mentem Angeli, infra q. LVII, art. II. Et sequuntur D. Thomam communiter ejus discipuli, ut videri potest apud Ferrariensem II contra gentil. cap. XCVIII, §. Adsecundi dubii evidentiam; Zumel in præsentis quæstione LV, art. II, qu. II, licet oppositum reputet probabile Suarez lib. II de Angelis, c. VII; Navarrete tomo III, controv. LI; Carmelitani Salmanticensis tract. de Angelis, disput. V, dub. IV. Quamvis m. Bagnez super hanc quæstionem LV, art. II, dub. II et Paulus Nazarius ibidem controversia secunda oppositum teneant; pro eodemque citari solet Capreolus in II, dist. III, q. II; Cajetanus quæst. LV, art. IV et infra q. LXXXIX, art. II et III p. art. III.

XXXI. Ratio nostræ assertionis est, quia essentia Angeli, licet sit radix, et principium virtutis intellectualis habentis in se capacitatem, et potentiam ut species omnium recipiat, non tamen est radix, et principium omnis intelligibilitatis objectorum, a qua potest actuari: ergo non possunt species istæ dimanare tamquam propria passio ab ipsa substantia, vel intellectu Angeli. Patet consequentia, quia species istæ non sunt aliud, quam ipsamet objecta quæ representant in esse intelligibili: ergo si sunt species propriæ et immediate representantes talia objecta, oportet quod propriam, et immediatam talium objectorum intelligibilitatem, immaterialitatemque contineant. Ergo in tantum poterunt dimanare species intelligibiles ab aliqua radice, seu principio in quantum intelligibilitas objectorum continetur actu, vel virtute aut eminentia in tali principio, et radice. Sed substantia Angeli non potest

continere actu, vel eminenter intelligibilitatem propriam omnium objectorum quæ potest intelligere, sicut nec omnium quidditates, et perfectiones: ergo non potest esse radix, et principium unde emanent species omnes propriæ earum rerum quas potest intelligere. Minor probatur, nam substantia Angeli tam entitative, quam intelligibiliter est limitata, et redacta ad suum genus, et differentiam: ergo non potest continere in se proprias perfectiones aliarum rerum, neque propriam intelligibilitatem in eo quod proprium illorum est, et differunt ab ipsomet Angelo: in hoc enim distinguitur ab illis, et coarctatur ac limitatur erga illa, nec habet eminentiam illam infinitam, quam Deus habet in quantum est principium, et causa omnium entium, et quarumcumque differentiarum; et sic per se continet omnia, quia causat omnia: Angelus autem quamvis sit perfectissimum ens, non tamen est principium, neque causa omnium aliorum, quæ potest intelligere; et sic non continet omnium perfectiones, et quidditates, etiam in eo quod proprium, et peculiare earum est, et in quo differunt a se: ergo neque continet propriam, et specialem earum intelligibilitatem: ergo neque potest esse radix, et principium ut a se dimanent species propriæ, et per se representative aliorum objectorum, etiam in eo in quo differunt inter se, et ab ipso Angelo. Quod si solum est principium, et radix specierum representantium alia objecta secundum intelligibilitatem ipsius Angeli a cuius substantia emanant, non propriam ipsius rei quæ intelligitur, tunc ex vi talis speciei non cognoscet rem illam propria cognitione, sed ad instar suæ substantiæ, et secundum id in quo convenit cum illa, non secundum sibi propria. Un-

de ad cognoscendum proprie, et quidditative res alias, indigebit speciebus quæ a se non dimanent. Et præsertim hoc apparet in speciebus quas inferiores Angeli habent de superioribus: istæ enim cum exigant elevatiorem intelligibilitatem, nullo modo possunt contineri intra substantiam inferioris Angeli, nec illorum esse radix, et principium a quo emanent. Nec potest dici quod continentur in virtute ipsius intellectus, qui habet efficaciam ad intelligendum perfecte illa objecta. Contra enim est, quia intellectus habet hanc efficaciam suppositis speciebus ad elicentiam intellectio- nis, non autem habet efficaciam ut species dimanent a se, quia remotis speciebus intellectus solum est in pura potentia intelligibili ad illas.

Confirmatur, quia si substantia Angeli continet in se intelligibilitatem omnium objectorum, possentque ab ea dimanare species omnium, ut propriæ passiones illius: ergo qui comprehenderet illam substantiam, in ea comprehenderet omnes istas species, quæ sunt ejus proprietates: qui enim comprehendit aliquam essentiam, in ea omnes proprietates cognoscit, quæ in tali radice continentur: ergo etiam cognita, et comprehensa substantia Angeli, omnes tales species comprehenduntur quantum ad omne illud quod ex tali essentia, ut a radice trahunt, et participant, sicut omnes aliæ proprietates, quæ ab essentia dimanant, ex comprehensione essentia cognoscuntur quidditative, et proprie, ac distincte in se: ergo si species illæ sunt proprietates dimanantes ab essentia, et intellectu Angeli, visa, et comprehensa essentia sua, illas comprehendet, et cognoscet. Visis autem, et comprehensis speciebus, videntur objecta in illis contenta, et repræsentata: ergo per

essentiam suam potest Angelus omnia objecta extra se videre, sicut et omnes species, et repræsentationes talium objectorum. Hoc autem negat S. Thomas in articulo primo hujus quæstionis LV, quod Angelus per essentiam suam possit omnia alia objecta cognoscere propria, et distincta cognitione, quia sic contineret aliorum quidditates, et naturas in se perfecte, nec indigeret speciebus superadditis, quia idem esset comprehendere essentiam ac videre species ipsas, et objecta: ergo non possunt tales species emanare, sicut proprietates ab essentia.

XXXII. Dices: Emanare illas species a substantia Angeli entitative, non intentionaliter, et repræsentative; et sic visa essentia, videntur species entitative, et ut qualitates sunt, non repræsentative, seu ut objecta repræsentant. Vel secundo, licet emanent a substantia Angeli, non tamen repræsentat illas formaliter ipsa essentia, sed radicaliter seu virtualiter, unde visa essentia, non sequitur quod videantur species illæ formaliter in se, et ut tangunt repræsentative sua objecta, sed solum prout tenent se ex parte subjecti, et quantum ad id quod est radicalis, et virtualis continentia, non secundum id quod habent ex parte objecti, quod pertinet ad repræsentationem.

Sed contra primam solutionem est, quia repræsentatio intentionalis est essentialis, et intrinseca speciei, et per illam distinguitur una species ab alia, si quidem ex objectis sumit specificationem, et distinctionem: ergo repugnat dicere quod emanant species ab essentia quantum ad suam entitatem, non quoad suam repræsentationem, cum hæc repræsentatio intrinseca illis sit, et ad eorum essentialem rationem pertineat. Aut si entitas illa specierum emanat ab essentia Angeli, non au-

tem repræsentatio, seu intelligibilitas earum: a quo ergo principio repræsentatio specierum est? An entitatem habent a subjecto cui insunt, repræsentationem vero a solo Deo? Cur ergo non habebunt entitatem, et realitatem etiam a Deo, si quidem repræsentatio illa entitas realis est, cum non sit aliquid rationis in ipsa specie? Si ergo non potest emanare repræsentatio, et intelligibilitas speciei a substantia Angeli, quia in ea non continetur, nec etiam entitas, seu realitas talis repræsentationis emanabit, quia nec etiam ista continebitur in tali radice, cum non sit aliud repræsentatio speciei, quam ejus entitas, et ejus entitas repræsentativa sit.

Contra secundam autem solutionem manifeste instatur, quia constat res cognosci distincte, et proprie per causas suas, imo tunc est scientifica, et propria rerum cognitio, quando per suas causas cognoscitur; et tamen effectus in causis non continentur, nisi radicaliter, et virtualiter: nec enim formaliter sunt, nisi in se, et extra causas; in illis autem solum continentur in virtute, et in radice: ergo continentia radicalis, et virtualis sufficit ad manifestandam proprietatem, seu effectum formaliter, et proprie, ut est in se. Ergo si species se habent ut proprietas essentia in Angelo, non obstante quod ibi continentur radicaliter, cognoscuntur per ipsam essentiam distincte, et proprie, et formaliter, si essentia ipsa comprehenditur, et habet speciem qua cognoscitur vel ipsa pro specie servit. Nam, et ipsæ proprietates quæ ab essentia dimanant, non aliter in ea continentur quam sicut in radice, et virtute, et tamen per comprehensionem essentia cognoscuntur proprie, et formaliter in se, quia totum quod in se formaliter sunt, virtualiter continentur in essentia, et per eam

tamquam per medium perfecte continens, et emittens tales proprietates attinguntur, sicut per quamlibet aliam causam sui effectus. Ad ipsam autem essentiam non est necesse ponere species, quia per seipsam intelligibilis est, et vim speciei habet.

XXXIII. Denique, D. Thomas dicit infra qu. LVI, art. II ad IV quod: « Si Deus instituisset plures Angelos, vel plures naturas creare, plures species intelligibiles, mentibus angelicis indidisset. » Inquiri ergo: Si plures naturæ fierent in universo, an ex natura, et essentia Angeli dimanarent plures species intelligibiles quam modo dimanarunt, vel non. Si non dimanarent: ergo respectu illarum naturarum quæ de novo crearentur, debent dari species a Deo infusæ, et non dimanantes ab essentia Angeli: sicut ergo respectu illarum non haberet natura vim ut emanarent ab illa species, sic neque vim habet ut dimanent species aliorum objectorum, quia quod ista objecta quæ modo sunt creantur, vel alia tunc crearentur, pendet ex mera voluntate Dei, quod autem natura vim habeat ad habendum vel non habendum species tamquam proprietates, dependet ex naturali colligatione, et connexionione inter essentiam illam, et species, non ex sola libera productione Dei circa objecta extrinseca; nec intelligi potest quod ex sola libera voluntate Dei producendi speciem formicæ substantia Angeli habeat naturalem connexionem cum specie formicæ, et ab ipsa emanet, et voluntate Dei remota, et nolente formicam producere cesset illa naturalis connexio, cum emanatio proprietatum ab aliqua essentia pertineat ad necessariam connexionem prædicatorum: et sic non potest variari ex sola libera voluntate extrinseca qua Deus produ-